MEMORIALE ÆTERNITATIS,

Sive

Digestæ in tres Septenarios Considerationes Circa


ÆTERNITATEM:

Aliàs Honori & Usui *Parthenijs MARIÆ Aquicinctinis* SODALIBUS PHILOSOPHIS *Nunc Almæ* DIVÆ VIRGINIS in Cœlos Assumptæ, & in Archiducali ac Episcopali Societatis JESU Collegio Nissæ erectæ & Confirmatæ SODALITATI, oblatæ ac dicatæ.

ANNO à partu Virgineo M. D C C.

Zelus Animarum invenit, Timor DEI impressit & reimpressit.

NISSÆ, Typis Josephi Schlögel,



Præfatio ad Sodales Parthenios.

Metum ponite DD. Sodales Parthenij: nihil hic est (tametsi cogitari possit) cur quispiam ex frontispicio ad Æternitatis aspectum exanguis impallescat. Serpens hæc quidem est: verùm hujusmodi, quales haudprocul ab Aquis Stygijs antrum procreat Italiæ: qui non mordent, sed linctu in desperatis affectionibus sunt antidotum. Circulus hæc est, in quo neque principium, neque finem, attamen felicitatis centrum inveneris. Annulus quoque est: beneficiô cujus gestantes, Patricij, veréque Nobiles Cœlestis evadant Jerusalem: eidémque inserti veluti gemmæ in perpetuas fulgeant Æternitates. Euripus demum est: in quem quisquis animo se se præcipitem egerit, non intereat: Sed felicior emergat

Stagirita. *Et idcirco Memoriale illius vobis dedicare placuit DD. Sodales, qui defixis in Mariam Cælos aſcendentem hæretis oculis: ut veſtigia premere cupientibus, neque deſit Itinerarium: neque unquam non ſuppetat Diarium: unde quid cuilibet declinandum, quáque ſingulis tutiſſimè progrediendum ſit, valeatis colligere. Hoc quippe, non pennarum, quas tantopere exoptaverat, adminiculo, mortalis vitæ feliciter emenſus eſt ſtadium ille, qui de ſe occinit:* Annos æternos in mente habui. Et meditatus ſum nocte & exercitabar, & ſcopebam Spiritum meum, *Pſal.76. Quemadmodum & vos ſimiliter emenſuros ſperandum eſt, ſi interdiu veluti peregrini Iſraëlitæ in æneum, ità vos in Æternitatis ſerpentem, intellectus veſtri oculum defixeritis: vel à circuli hujus peripheria ad centrum unicam indies lineam duxeritis. Imò fas ſit dicere, Gygis vos in hoc libello geſtaturos annulum: per quem infernalibus inviſibiles redditi poteſtatibus, ad ipſammet inviſibilis Majeſtatis Divinæ Regiam penetrare valeatis.*

CON-

CONSIDERATIONUM CIRCA ÆTERNITATEM,

PARS PRIMA COMPLECTENS SEPTEM PROPOSITIONES, SINGULIS HEBDOMADÆ DIEBUS,

Manè, veſperi & ſæpiùs Studioſè perpendendas.

PRIMA PROPOSITIO.

Vita brevis.

SApienti nuntius præcurrens, navis pertranſiens fluctuantem aquam, (a) avis transvolans in aëre, ſagitta emiſſa in locum deſtinatum: lanugo, quæ à vento tollitur: ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur: memoria hoſpitis unius diei prætereuntis. Quid vita? Sancto Jacobo vapor ad modi-

(a) Quid vita hominis

modicum parens, Davidi umbra, Jobo etiam fumus, folium, ventus. Quid iterum vita? Pindaro umbræ ſomnium, Æſchilo umbra fumi, denique Juſto Lipſio ſcenæ imago, & (ut verbulo cum eodem abſolvamus) nihil. Hinc colliget vir ſapiens, niſi deſipit, parvipendendas eſſe fœdas voluptates, honores falſos, fluxas divitias, res omnes ſub aſtro inconſtantis Lunæ projectas: cum eæ ſimul ac vita fugaciſſimè transvolent, ſintque cum temporis momento, cui inſiſtunt, finem brevì ſuum habituræ. Ità (a) olim ratiocinatus eſt vir ille nobilis Rolandus nomine, qui poſtquam ſplendens luxu veſtium, inter jocos feſtum diem totum epulis, luſibus, choreíſque traduxiſſet; veſperi ad mentem reverſus, hem, exclamat, ubi nunc feſtum, quod egimus? Ubi cætera? nimirum ùt hic dies, ſic reliqua omnis tranſcurret vita, nihil poſt ſe relictura, nisì æternum pœnitere. Sic graviter tum quidem concluſit; & poſtero die vitam ſanctiorem adorſus eſt.

II. PRO-

(a) Ex P.P. Dominic. Hiſt.

II. PROPOSITIO.

Morte nihil certius & nihil incertius

PAradoxon audire te putas: ſed axioma eſt, moriere. A ſex millibus annorum DEUS mortis tuæ legem fixit, eámque adamantinam; ſtatutum eſt hominibus ſemel mori; (a) at incertum quando, ubi, quomodo morieris; an in meridie, an ſerò, an nocte concubia, an in gallicinio, an manè, an in vere adoleſcentiæ, æſtate juventutis, ſenectutis, autumno, hyeme ætatis decrepitæ; an domi, an foris: & (quod caput eſt) an bene, an malè. Scio moriturum te, cætera neſcio. Habetur adhuc Epitaphium adoleſcentis nobilis, quem medico fruſtrà ſperante, mors repens incogitantem ſurripuit. Lege.

Forma, nitore, genere, & opibus florui:
Flores ſed iſtos meſſuit mortis manus.
Ubi juventus? abijt, & ſpes abſcidit;
DEI ad tribunal pene adhuc vivus ſteti,
Nec profuêre ſtirps, opes, oris vigor.

(a) Heb. 9.

Usque ad ſepulchrum hæc omnia, ulterius nihil.

O Arundinee mortalis, hæc quisquis legis,
Æternitatem proſpice, & longum vale.

Vigilate, quia neſcitis diem neque horam. (a)

Vigilabat Maximilianus primus, (b) optimus Imperator, quem legimus toto quadriennio ante mortem, ſarcophagum ſibi parari, ſecum deferri, apud ſe ſemper eſſe voluiſſe, quaſi ſemper iſte mortis apparitor ei occineret: Maximiliane cogita mori. Qui me audis, idem cogita, & vigila: quia neque tu ſcis diem, neque horam.

III. PROPOSITIO.

Corporis locus, ſepulchrum.

Hic conſtituta eſt domus omni viventi. (c) Quid ampla palatia ædificas mox diſceſſurus? militum more ſub tentorio degis, quamdiu vivis: ſtatim ac ſummus Imperator clavos tabernaculi refigi juſſerit, abeundum erit in longam iſtam domum;

(a) *Mat. 25.* (b) *Lipſ. in Monit.* (c) *Job. 30.*

mum ; ubi (a) *putredini*, mi puellule, dicas *Pater meus es*, *Mater mea*, *& Soror mea*, *vermibus*.

I nunc, veſtire mollibus, dormi ſuper bene plumeo anſere, & ſub culcitra ſuavi: (b) *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*. Ecquid agis demens, cùm neglecto animæ ſtudio, unam inter Epicuri porcos curas cuticulam? ſcilicet ut nitida, ut pinguis ſit.

Sed quorſum? ut eò magis dapſile vermibus epulum appares. Hæc minimè cogitas: atqui magnam tamen id ad rectè philoſophandum vim habet. Si neſcis, diſce. Fuit vir Bononiæ (c) tibi perſimilis, delicatulus, qui vitam omnibus delicijs diffluentem viveret, qui nullum de rigidiore vita verbulum ſibi fieri pateretur. Quid tu iſto homine faceres? hunc è familia S. Dominici religioſus aliquando convenit & multa familiariter, comitérque loquutus, digrediens unicum monuit: Cogitaret ſub noctem lectum ingreſſus illud Prophetæ, *ſubter te ſternetur tinea, &*

 operi-

(a) *Job. 17.* (b) *Iſa. 14.* (c) *Humb. tract. 7. de Tim.*

operimentum tuum erunt vermes. Fecit ille, ùt erat monitus, atque ità altè cogitatum iſtud animo inſedit, ut rebus omnibus abdicatis homo ante molliſſimus ſe Deo, vitæque arctiori obſtrinxerit.

IV. PROPOSITIO.

Animabus horrendum DEI Tribunal.

HOrreo vel cogitans: tu tui ſecurus forſan nunc rides, ludis, jocaris; leviora hæc ſunt, nunc etiam fortè ſceleratè vivis. Sed heus tu audi S. Joannis Apocalypſim, (a) *Vidi mortuos, magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ: & judicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris ſecundùm opera ipſorum.* Audi præterea Apoſtolum; (b) *omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unusquisque propria, prout geſſit.* Audi denique (c) Innocent. Pap. III. meticuloſum eſt omni viventi coram te Domine, cauſam agere criminalem: quia

(a) *Apoc.* 20. (b) *Epiſt.* 2. *Cor. c.* 5. (c) *In Pſal.* 142.

quia cùm ſis potentiſſimus, manus tuas nemo poteſt effugere: cùm ſis ſapientiſſimus, oculos tuos nihil poteſt latere: cùm ſis juſtiſſimus, animum tuum nemo poteſt corrumpere: coram quo accuſatrix eſt conſcientia, rea mens, Advocatrix ratio, teſtis memoria, & tu judex. Quare meritò diem judicij cogitans, (a) S. Hieronymus de ſe dicebat: quoties, diem illum conſidero, toto corpore contremiſco: ſive enim comedo, ſive bibo, ſive aliquid aliud facio, ſemper videtur mihi tuba illa terribilis ſonare in auribus meis: *Surgite mortui, venite ad judicium.* Ecce quam ipſis etiam viris Sanctiſſimis formidandum ſit iſtud tribunal! para te igitur tempori ad examen, incertus eſt judicij dies. Citaberis fortè cras, fortè hodie; neque in hoc foro comperendinari, aut vadari licebit. Et quomodo, ſi imparatus fueris, ferre poteris vultum judicis irati?

Quidam (b) importunis precibus à

 Matre

(a) *Apud Dionyſ. Carthu. lib. de Rem. Tent. art. 22.* (b) *Vit. SS. PP. L. 5. tit. 3.*

Matre religiosè vivendi facultatem extorserat; cùm negligentiùs viveret, in morbum incidit; visúsq; sibi est ad Dei tribunal sisti, & à matre, quæ priùs vivis excesserat, gravibus hisce verbis fodicari. Quid est hoc Fili? & tu in locum hunc condemnatus jussus es venire? Ubi tui olim illi sermones? Ubi propositum vitæ melioris? Hæsit ad hæc ille consternatus, & vigiliæ ac sanitati redditus, adeò se luctibus, ac lacrymis immersit, ut omne à se solatium reijceret: si improperium, inquiebat, matris meæ sustinere non potui, quomodo Christi, & Angelorum ejus ad versùm me confusionem, & acerbitatem potero in die judicij sustinere? Ille non potuit: tu graviorum scelerum reus an poteris? Vis exemplum aliud? (a) Socio alius post mortem mœsto vultu apparens ter vocem istam inclamavit: nemo credit, nemo credit, nemo credit; cúmque vivus quæreret, quidnam istud, quod nemo credit? respondit mortuus: quàm districtè judicat Deus, & quàm severè punit. Cor profectò

(a) *Inspec. exemp. ex Jac. parad.*

fectò non habet, qui ista recordatur, & nondum pavet.

V. PROPOSITIO.

Alia judicia DEI, alia hominum.

NOn (*a*) *enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus: quia sicut exaltantur Cœli à Terra; sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Nempe (*b*) *Homo videt ea, quæ parent: Dominus autem intuetur cor*: Ille breviter & quasi per transennam, & eminus respicit: hic *scrutatur* etiam *renes*; & quidem *in lucernis.* Vis exemplum? præsto est, & ad manum. Promam autem verbis (ùt erant istorum hominum mores) simplicibus & candidis. Abbas Agathon (*c*) moriturus, tres dies mansit immobilis, oculos apertos tenens; pulsaverunt autem eum fratres dicentes, Abba, ubi es? & ille respondit: *In conspectu Divini judicij assisto.* Dicunt ei: & tu times? & ille

(*a*) *Isa.* 55. (*b*) 1. *Reg.* 16. (*c*) *In vit. PP. l.* 5. *c.* 11. *de Sobr.*

ille dixit : *interim laboravi virtute, qua potui, in custodiendis mandatis DEI: sed homo sum, & nescio, utrùm placuerint opera mea coram DEO.* Dicunt ei fratres: & non confidis de operibus tuis, quia secundùm DEUM sint? & dixit, senex: *non præsumo, nisi venero ante DEUM: aliter enim sunt judicia DEI, aliter hominum.* Timuit ille: tu securus es?

VI. PROPOSITIO.

Duplex ab unico momento pendet ÆTERNITAS.

EN vaticinium Danielis: (a) *evigilabunt alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, ut videant semper.* En Evangelium S. Matthæi: (b) *ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam.* Excipe nunc utramque judicis de ÆTERNITATE sententiam: à dextris dicet ovibus: (c) *venite benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Tum hædis à sinistris cum horrisono tonitru edicet: *discedite à me maledicti in ignem æternum.* ô istorum beatam! miseram horum

(a) *Cap. 12.* (b) *Cap. 25.* (c) *ibid.*

horum ÆTERNITATEM! ô diversissimam felicis, infelicísque jactus, & sortis aleam! Visionem justi judicis (*verba sunt S. Gregorij* (*a*)) quàm justus vehementer exspectat, injustus venire reformidat: iste namque labores suos considerans, mercedem retributionis quærit, & causæ suæ meritum sciens, præsentiam judicis expetit &c: ille verò, qui injustitiæ suæ meminit, venire ad judicium pertimescit, actúsque suos examinari metuit, quia damnari, si examinentur, novit. Porrò ex vitæ unius momento pendere utramque ÆTERNITATEM nemo nescit: potes igitur, ùt voles, esse vel æternùm beatus, vel æternùm miser. Quid mavis è duobus? age, quid mavis? sed priusquam in tanta re quidquam constituas, S. Francisci Divinum oraculum consule:

Modica hìc voluptas, sed posteà pœna immensa:

Modicus hìc labor; sed posteà gloria æterna:

ELIGE:

Multorum vocatio, paucorum electio, omnium

(*a*) *Lib. 31. moral. cap. 12.*

omnium retributio! ÆTERNITATEM *cogita.* Cogitavit, ideóque ſapienter elegit S. Catharina Senenſis; cui cùm Chriſtus apparuiſſet dextrâ coronam miri decoris auream, ſiniſtrâ verò ſpineam protendens, optionémque feciſſet, eligere utram mallet: ſpineam avidiſſimè præhenſavit, & usque adeo capiti infixit: ut dolores perſentiſceret graviſſimos; maluit ſcilicet coronam auream pro momentaneo cruciatu aſſervari in ÆTERNITATEM.

VII. PROPOSITIO.

Inferi terribilium terribiliſſimum.

OStendam vobis (loquitur Chriſtus apud S. Lucam (a)) *quem timeatis: timete eum, qui poſtquam occiderit, poteſtatem habet mittendi in gehennam; ità dico vobis, hunc timete.* Et verè viri omni memoria ſanctiſſimi timuerunt, imò horruerunt. Vide S. Cyrillum (b) *toto corpore & animo cohorreſcentem*: gehennam timeo, ait, quippe interminatam, & horreo tartarum; ut cui nimium inſit caloris; paveo tenebras, quo-

(a) *Cap. 12.* (b) *In orat. de exit ani.*

quoniam nihil admittunt lucis; formido pestiferum vermem, quoniam est perennis. Adverte nunc *S. Bernardum* (a) *pari horrore impallescentem*: paveo inquit gehennam, paveo judicis vultum, contremisco à dentibus bestiæ infernalis; horreo vermem rodentem & ignem torrentem, fumum & vaporem & sulphur, & Spiritum procellarum; horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut præveniam fletibus fletum, & stridorem dentium? Agedum ex pœna unius, inferorum acerbitates collige reliquas. Amici duo inter (b) se pepigerant, ut qui prior moreretur ad superstitem rediret de statu alterius vitæ moniturus; obijt paulò post eorum unus, fidémque datam præstans socio post dies 30. adfuit vultu exangui, & pallido; en adsum inquit, tuò, si uti velis, bono: nam ego quidem sempiternis addictus sum pœnis: quæ, quàm graves sint nescis: sed disce ex unà: protendénsque manum

(a) *Ser. 16. in Cant.* (b) *Ex Spec. Hist. Vincent. l. 25. cap. 89.*

num ſanioſo ulcere ſtillantem; videtúrne ait, hæc pœna levis? mox curvatis in volam digitis, tres diſtillantis tabis guttas, duas in tempora, alteram in ſocij frontem aſperſit: quæ tam altè penetrarunt: ut in illius vultu foramen nucis capax efficerent. Vade jam, inquit, ſi ſapis, & habitum muta & animum: ità damnatus ille commonuit, & diſparuit: alter verò monito illo perculſus, mundi transfuga ſtatim ſe abdidit in religionem. Et ſanè qui ad iſta vel terriculamenta vel exempla nondum ſapit, nè quidem brutum eſt, ſed ſtipes: neque ſtipes modò, ſed lapis.

ORATIO,

Pro timore DEI obtinendo.

COnfige (a) Domine timore tuo carnes meas, à judicijs enim tuis timui. Ecquis non timeat conſiderans hujus vitæ brevitatem, certæ mortis incertitudinem, ſepulchri, & ultimi tribunalis horrorem, vitæ alterius, & ſuppliciorum æternitatem? quis te omnipotens & tremende Domine non timeat? ſed tamen donum tuum eſt iſta ſalutariter timere: auge igitur meos timores, iiſque confige non modo carnes meas, ſed etiam trans-

(a) Pſal. 118.

transfige cor meum; ut concipiam & parturiam, & pariam Spiritum: Spiritum timoris, (a) quia initium Sapientiæ eſt timor Domini; Spiritum contritionis, quia ſi peream ſemel, æternùm perij; ſed non pereat æternùm ſervus tuus, pro quo ſanguinem fudit Filius tuus, JESUS meus pro peccatis meis crucifixus, Amen.

SECUNDA PARS

Perſtringens

SEPTEM CONCLUSIONES

Quibus

Natura, & duratio

ÆTERNITATIS

Continetur.

PRIMA CONCLUSIO.

Operæ pretium; ſed difficile definire ÆTERNITATEM.

O ÆTERNITAS! quàm raró verſaris in mentibus hominum! iterum dico, quàm raró verſaris in mentibus noſtris ÆTERNITAS: ô ÆTERNITAS! heu ÆTERNITAS! quid dicam, aut quomodo dicam? quàm raró verſaris in cogitatione filiorum

(a) Iſa. 26.

rum Adami, ÆTERNITAS! quis exprimat quid ſit ÆTERNITAS? quis concipiat quid ſit ÆTERNITAS? cogito mille annos, cogito tot annorum millia, quot ſunt momenta ſeu puncta in toto tempore à condito mundo usque ad ejus conſum̃ationem: & de ÆTERNITATE nihil adhuc habeo. O ÆTERNITAS! quis poterit par eſſe ÆTERNITATI in tormentis? *fumus tormentorum eorum aſcendet in Sæcula Sæculorum.*(a) quid eſt *in Sæcula Sæculorum*? volo dicere, & neſcio dicere. *Ità F. Adamus Sasboutius* (b) *vir admodùm pius, & ſapienter ſenſit, & eleganter ſcripſit.*

II. CONCLUSIO.

Poteſt ÆTERNITATIS natura ſaltem deſcribendo adumbrari.

ÆTERNITAS Doctori Angelico (c) eſt duratio immutabilis & indeficiens, carens ſucceſſione, tota ſimul exiſtens, & conformitas ejus, quod eſt extra motum. *S. Dionyſius Areopag.* (d) eſt immutabilitas, immortalitas

(a) *Ap.* 14. (b) *Hom. dom* 1. *quadr.* (c) 1. *p. q.* 10. *a.* 1. & 5. (d) *C.* 10 *de diu nom.*

talitas, incorruptibilitas rei totius ſimul exiſtentis; ævum, quod non interit, ſed eodem modo ſemper ſe habet. *Boëtio* (a) eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio. Quid eſt ÆTERNITAS? unum perpetuum ſum, quod præteritô caret & futurô: eſt circulus, cujus centrum ſemper, circum ferentia nunquam: eſt magnus annus, & tamen annulus ſe ſe involvens, & implicans ſinè termino. Eſt axis firmus & immobilis, circa quem agitatur rota mundi, temporis & ſæculorum omnium: eſt ſtella fixa, cujus cauda errans infinitùm protenditur. Eſt Oceanus, cujus altitudo nulla bolide inveſtigari poteſt: eſt abyſſus, in qua vis intelligendi humana ſubmergitur.

Quid tandem eſt? revera neſcio: illud tantùm ſcio, id ipſum eſſe, quod Deus ſolus ſua infinitate ambit & complectitur.

III. CONCLUSIO.

Longus & vanus labor metiri durationem ÆTERNITATIS.

Metiri ſemel, iterum, ſæpiùs, poſt decem annorum milliones, poſt cen-

(a) L. 5. de Conſol. proſ. 6.

centum mille millia myriadum annorum, post decies centies millena millia millionum annorum: necdum finem, necdum medium, imò necdum ÆTERNITATIS principium designâsti: junge ad ista omnes hominum & Angelorum cogitationes, omnes motus, & mutationes, quarumvis rerum creatarum: adde his arenulas, quot non possent millenarum terrarum vastissimo sinu contineri: collige denique in unum omnes numeros Arithmeticæ quadratos, cubicos, quosvis: nunc imple his numeris volumina chartarum hinc ad supremos Cœlos usque: nondum ÆTERNITATIS durationem mensus es, tantum abest, ut sis emensus.

Quamdiu igitur durabit ÆTERNITAS? semper. Quando finietur? nunquam. Quamdiu Cœlum erit Cœlum, quamdiu inferi erunt inferi, quamdiu Deus erit Deus: tamdiu durabit ÆTERNITAS, tamdiu Cœlum beabit Sanctos, tamdiu improbos torquebunt inferi. Quamdiu hoc erit? æternùm erit. Nè, quæso, molestior sis quærendo: apprehende saltem, si comprehendere non potes.

IV. CONCLUSIO.

ÆTERNITATIS duratio mensurari non potest.

EX quo poli sunt perfecti,
Aude numero complecti,
Stellas Cœli, stillas roris,
Undas aquei fluoris.
Guttas imbris pluvialis,
Floccos velleris nivalis:
Quot sunt vere novo flores
Quot odores, quot colores,
Quot vinaceos Autumnus,
Poma legat & Vertumnus:
Quot jam grana tulit æstas,
Frondes hyemis tempestas,
Totus orbis animantes,
Aër atomos volantes,
Pilos feræ, pecus villos,
Vertex hominum capillos:
Adde littoris arenas,
Adde graminis verbenas;
Tot myriades annorum,
Quot momenta Sæculorum:
Heu! adhuc ÆTERNITATIS
Portus fugit à damnatis.
Nihil numerando proficis,
Plùs restat, quàm detraxeris.

ÆTERNITAS! ÆTERNITAS!
Quàm longa es
ÆTERNITAS!

V. CON-

V. CONCLUSIO.

Æternarum pœnarum immensitas damnatos adigit ad desperationem.

PRôh dolor! (a) inquiunt, decem elapsis annorum millibus, centum adijcientur millia; tot jungentur myriades, & milliones; quot in firmamento sunt Stellæ, & in Oceani littore arenarum grana: post quæ longissima annorum spatia, quasi nihil de pœnis nostris accisum esset: sic iterum ab initio tormenta sufferre incipiemus: atque ità sinè interruptione, sinè fine, sinè modo, volvetur continuò nostrorum rota tormentorum. O terribilem, ô formidandam ÆTERNITATEM! si nobis saltem concederetur, ut arenosus quispiam mons attolleretur amplitudine terras coæquans, fastigio Cœlum attingens: ex quo, post centum millia annorum advolans avicula rostrô non plùs auferret, quàm est decima unius arenulæ pars: & rursus post alterum centum annorum mille, aliam arenulæ unius decimam partem: & pari modo

(a) *Ex Dion. Carth. in Spec. Amat. mundi paucis mutatis.*

do aliam, atque aliam, ità ut ſpatio decies centum millium annorum tantùm unicum arenulæ unius granum de monte illo arenoſo minueretur: quàm læti, quàm alacres eſſemus, quòd poſt ultimam ſaltem montis totius ablationem damnationis noſtræ finem aliquando aliquem haberemus: ô deſperationem! ô inſaniam! Nè id quidem undequaque miſerrimis concedetur. Væ ergo nobis, jam nunc, & in perpetuum! Væ! quòd nati ſimus, nec unquam mori valeamus. Væ! (a) quia torquemur, nec unquam liberabimur. Morimur ſemper, & vivimus; deficimus & ſubſiſtimus; finimur & fine caremus. Mors (b) enim noſtra eſt ſinè morte, defectus, ſinè defectu, finis ſinè fine, quia hìc & mors ſemper vivet, & defectus deficere neſciet, & finis ſemper incipiet. Et propter turpem unius momenti delectationem, imò voluptatulam ità lancinari? O acerbum! O crudele! O intolerabile ſupplicium! Quid ad hæc peccator? agedum, quid ad hæc?

 non-

(a) *Ex l. 9. Mor. S. Greg. c. 39.* (b) *Ex S. Aug. l. de Spirit. & Ani. cap. 56.*

nondum ad vitæ prioris mutationem commoveris? ergo non modò ratione, sed sensu cares.

VI. CONCLUSIO.

Parit hæc consideratio veram rerum mundanarum æstimationem.

ITà enim ÆTERNITATIS Philosophus se ipsum arguet, admonebitque: Animule, qui tanto curarum æstu intra te versus: quid continuo motu molis? aut quid moliris? age jam nunc. Quin floccipendimus quidquid est in hoc mundo fugitivarum opum, quidquid est illecebrarum carnis, quidquid est futilium honorum? quin id unum agitur, ut æternas inferorum pœnas effugiamus, felicitatem ad quam facti sumus assequamur? Itáne insanimus; ut momentanea voluptate æternos ignium cruciatus lubeat mercari? momentaneum enim est, quod hìc delectat, æternum, quod cruciat. Quid? candelæ emorientis flammulam, nè digitô quidem uno ad brevissimum tempus sustinere potes; experire, non potes: æternos inferorum ignes sufferre pote-

poteris? compone momentum & ÆTERNITATEM, tum rem ſuis ponderibus æſtima. In toto orbe haud quisquam eſt tam inſano cerebro, qui mundi totius imperium ea conditione acceptet: ut triginta, vel quadraginta annorum ſpatiô in lectulo roſis, floribúsque vernantibus ſtrato, extenſus jacere velit; atqui lecto ille jaceret florido, & vernanti? ità eſt; verùm cubationis diuturnitas gravem adfert moleſtiam. Quæ igitur tua dementia? quæ phreneſis, quàm inſanus furor? ſi velis pro re nihil, pro cepis Ægyptiorum & porcorum quisquilijs te periculo exponere cubandi in ignito damnatorum ſtrato, in quo & lentè torrearis, & æternùm torquearis. Refert S. Joannes Damaſcen. Ioſophatum Abenner Indorum Regis Filium Barlaami Eremitæ diſciplina ad Chriſti fidem converſum meretriculæ cujusdam forma & lenocinijs fuiſſe jam jámque capiendum & conſenſurum in res obſcenas; niſi Divina miſeratione contigiſſet, ut parumper obdormiſcens & Sanctorum gloriam & damnatorum pœnas videret:

ret. Ergo iſta per ſpeculum & per ſoporis umbram à dormiente viſa, tantam vim habuêre? quid tandem efficient in te animo vigili, ac ſtudio præmeditata? an momentum poſtpones ÆTERNITATI! Væ tibi.

O dedecorum pretioſus emptor!

VII. CONCLUSIO.

Eadem conſideratio parit robur animi & conſtantiam.

QUis enim ÆTERNITATIS Philoſophus in malorum omnium cataſta poſitus non ſtatim exclamet cum S. Auguſt.(a) O Domine DEUS meus, hìc ure, hìc ſeca, ut in æternùm parcas. Nam cœdi virgis, membratim dividi, in rotam aut crucem agi, vivum lento igne comburi, morbis omnibus, teliſque fortunæ impeti, & confligi; quid eſt? quid ſunt tyrannorum minæ, omnia mundi tormenta æternorum comparatione cruciatuum quid ſunt? fumus, riſus, jocus. Aut comparatione æternorum præmiorum quid ſunt? teruntius, obolus, nè hilum

(a) *In medit.*

lum quidem. Ità hac Philoſophiâ inſtructus Thomas Morus nuper Cancellarius Angliæ, Aloyſiæ uxoris plenam illecebris orationem retorſit, os obturavit, argumenta eluſit. Erat (a) illa ab Henrico VIII. ſubmiſſa in carcerem, ut adornato ſermone mariti animum ad impiam Regis voluntatem deflecteret; prodit igitur fœmina uxor, & multa ejulans, ſuámque ipſius, imò totius familiæ deflendam conditionem commemorans obnixè rogat, nè bona omnia & vitam ipſam, quibus multis ab hinc annis frui poterat, ſubitò perditum iret. Ad hæc paucis Morus; at quamdiu ô Aloyſia, quamdiu iſtis opibus, vitæque commodis frui potero, quamdiu? cui illa; facilè, ùt minimùm ad viginti annos, ſi Deo ità placet mi More. Vis ergo (ſubdit vir Sanctus) ut ÆTERNITATEM cum viginti annis commutem? Næ tu imperita, nè dicam ſtulta es negotiatrix: nam ſi aliquot annorum millia ſperanda diceres, aliquid tu quidem polliceri viderêre: ſed tamen ad ÆTERNITATEM quid

(a) *Sander. Schis. Aug.*

hæc essent? Ità S. Martyr sapienter sensit & dixit, ità vixit, ità decessit.

ORATIO.

Pro retinenda memoria ÆTERNITATIS.

DOmine Deus, obsecro, dic mihi servo tuo, quid est ÆTERNITAS? cogito & recogito, & tenebræ sunt, eóque magìs implicor, quò magìs explicare studeo; quid igitur est ÆTERNITAS? ah nolo scire, nolo Domine: fac tantùm, ut intimè sentiam ÆTERNITATEM. ô Momentum! O ÆTERNITAS! ô pretiosum momentum, unde pendet æterna ÆTERNITAS! Concede Deus meus per merita Filij tui & beatissimæ Virginis, Angeli mei custodis, & omnium Sanctorum, ÆTERNITATIS memoriam ità cordi nostro imprimi, & nostra omnia sic disponi, ut æterna damnatione vitata, æternam tuæ visionis gloriam consequi possimus, Amen.

TERTIA PARS.

QUÆSTIONES SEPTEM CIRCA ÆTERNITATEM, EARUMQUE SOLUTIONES.

I.

Quærit ex te Christus:

(a) *QUid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimen-*

(a) *Mat, 16.*

mentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?

II.

Quærit Deus iterum ex te:

(a) *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, quæ autem parâsti, cujus erunt?*

III.

Quærit Malachias ex te & ex me:

(b) *Quis potest cogitare diem adventus ejus? aut quis stabit ad videndum eum? ipse enim quasi ignis conflans.*

IV.

Quærit S. Petrus à peccatore:

(c) *Si justus quidem vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?*

V.

Quærit S. Job ex se:

(d) *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?*

VI.

Quærunt de se ex inferorum incendijs damnati.

(e) *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis?*

VII.

Quærit Isaias ab omnibus:

(f) *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*

IM-

(a) *Luc. 12.* (b) *Cap. 3.* (c) *Epist. I. cap. 4.* (d) *Cap. 14.* (e) *Sap. 5.* (f) *Cap. 33.*

IMPLEXOS HARUM QUÆSTIONUM NODOS, SACRARUM LITERARUM Sanctorúmque PP. Judicio dissolvent ea, quæ sequuntur.

I.

Frequens & exactum conscientiæ Examen.

V*Ias meas*, (a) inquiebat S. Job, *in conspectu ejus arguam, & ipse erit Salvator meus.* Nimirum (quod Apostolus testatur (b) *si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* (c) *Audi Chrysost. idem scripto attestantem*: Solùm si vellemus agnoscere peccata, si nosmetipsos condemnare, si de delictis ferre sententiam, liberaremur ab eo, quod & hìc & illic est supplicio. Nam qui se ipsum condemnavit, dupliciratione DEUM placat: & quòd peccata agnoverit, & quòd in futurum sit tardior. (d) *Cui Sententiæ accedit S. Anselm. simúlque excutiendæ conscientiæ formam præscribit egregiè*; Ascendat itaque homo, inquit, adversùm se tribunal mentis suæ, constituat se ante faciem

(a) *Cap.* 13. (b) 1. *Cor.* 11. (c) *In loc. Apost. cit.* (d) *In eund. loc.*

ciem suam, atque ità constituto in corde judicio ad sit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor: inde quidam sangvis animi confitentis profluat per lachrymas: postremò ab ipsa mente sententia proferatur. *Et mox.* Versetur ante oculos ejus imago futuri judicij: & quidquid in se viderit, quod à judice venturo reprehendi possit & puniri, ipse nunc in seipso reprehendat & puniat; peccata enim sive parva, sive magna, impunita esse non possunt: quia aut homine puniente, aut Deo judicante plectuntur. Cessat autem vindicta Divina, si conversio præcurrat humana.

II.

Sanctæ Pœnitentiæ seria, neque sera usurpatio.

VOcat enim Dominus apud Ioëlem: (a) *Convertimini ad me, in toto corde vestro, in jejunio & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra, &c. Quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ & præstabilis super malitia.*

Sed vide sequaris consilium sapientis,

(a) Cap. 2.

tis: (a) *nè tardes converti ad Dominum, & nè differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius.* Tum illud: (b) *Non demoreris in errore impiorum: ante mortem confitere, à mortuo quaſi nihil perit confeſſio; confiteberis vivens, vivus & ſanus confiteberis.* Quare ad Corinth. ſcribebat Apoſt. (c) *Exhortamur nè in vanum DEI gratiam recipiatis, ait enim* (DEUS) *tempore accepto exaudivi te & in die ſalutis audivi te, ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies ſalutis.* His conſona ſcribunt SS. Patres (d) *S. Auguſtinus.* Homo ſi malè vivit, non vivit; moriatur, nè moriatur? mutetur, nè damnetur.

(e) *Greg. Mag.* culpam tuam penſa, dum vacat; diſtrictionem futuri judicij, dum vales, exhorreſce; nè tunc illam amaram ſententiam audias, cùm jam nullis fletibus evadas. (f) *Idem Greg.* Si ſciret quisque, de præſenti ſæculo quo tempore exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud pœnitentiæ aptare potuiſſet: ſed qui pœnitenti veniam ſpo-

(a) *Eccl.5.* (b) *Eccl.17.* (c) *2.Cor.6.* (d) *Serm. 141.de temp.* (e) *Lib.1. Epiſt.33. ad Venant.* (f) *Hom.12. in Evang.*

ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit. Semper ergo ſupremum diem debemus metuere, quem nunquam poſſumus prævidere. Ecce hunc ipſum diem, de quo loquimur, ad inducias converſionis accepimus: ſed utamur, Sodales, dum poſſumus, nè non poſſimus, cùm volemus.

III.

Creber uſus Venerabilis Sacramenti.

Hic eſt panis, (a) qui de Cœlo deſcendit: non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna & mortui ſunt: qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Oraculum audis ex Evangelio: vide jam ex eodem quid timere & ſimul quid amare poſſis. (b) *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis*, inquit Veritas, *& biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis: qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem; habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die: caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Víſne audire SS. Patres?

(a) *Joan. 6.* (b) *Ibidem.*

cibus sum grandium, cresce, & manducabis me: nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ; sed tu mutaberis in me. (a) *Ita S. August.* Ut manifestum est eos vivere, qui corpus ejus attingunt, & Eucharistiam jure communicationis accipiunt: ità contra timendum est, & orandum: nè dum quis abstentus separatur à Christi corpore: procul remaneat à salute; comminante ipso & dicente: (b) *nisi manducaveritis &c. Ità S. Cyprianus.* Vis igitur Electorum, Beatorum, Divorúmque immortalium numero accenseri? accede ad Divinam illam mensam; hoc enim Sacramentum Propheta Zacharias vocat frumentum electorum: S. Ignatius Martyr, pharmacum immortalitatis, & antidotum non moriendi: Conc. Nicæ. Symbolum resurrectionis: Conc. Trid. pignus felicitatis, & gloriæ.

IV.

Opera Misericordiæ.

SCriptum siquidem legimus apud Psalmistam. (c) *Beatus vir qui intelligit*

(a) *7. Con. fess. 10.* (b) *De orat. Domin. cap. 8.*
(c) *Psal. 40.*

git super egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus: audiet nimirum lætissimam illam vocem: (a) *venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim & dedistis mihi manducare &c.* quare *S. Chrysost.* (b) rectè monet: mutuemus Christo pecunias, ut veniam accipiamus peccatorum; ipse enim est, qui judicat: nolimus eum despicere in hoc Sæculo esurientem, ut in futuro nos nutriat. Et *paulò post*: (c) parva igitur saltem exhibeamus, & pro parvis maxima accipiamus, maxima mercemur. Eleemosyna, *inquit idem Chrysost.* Christi adstat tribunali non tantùm patrocinans, verùm & ipsi persvadens judici, ut reo patrocinium præstet, & pro eo sententiam ferat.

V.

Patientia in rebus adversis.

Appello Apostolum. (d) *omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris: postea verò fructum pacatissimum exercitatis per eam*

(a) *Math. 15.* (b) *Hom. 24. in 3. cap. Joan.* (c) *Hom. 33. ad po.* (d) *Ad Hebr. 12.*

reddet justitiæ. Rationem adfert luculentam scribens ad Corinth. (a) *id enim, quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, quæ videntur; sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt.* Ea spe animati acerba quæque Martyres fortiter tolerarunt. Noverant scilicet illud Apost. (b) *Fidelis sermo: nam si commortui sumus, & convivemus: si sustinebimus, & conregnabimus.* Et illud *S. August.* (c) recusat esse in corpore, qui odium non vult sustinere cum capite. Atque ob hanc eandem scilicet causam sub inde nos DEUS duriùs tractat, & paternè affligit: *ut S. Doctor Greg. Script. reliquit:* (d) In sex itaque nos tribulationibus Dominus liberat, nè nos in septima malum tangat: quia per paternæ pietatis eruditionem præsentis vitæ labore nos atterit: sed in adventu Domini à verbere abscondit; ut tantò tunc ad salutem certiores exhibeat, quantò nunc nos flagel-

(a) 2. ad Cor. 4. (b) 2. ad Tim. 2. (c) Serm. 47. de Sanct. (d) L. 6, mor. c. 15.

flagella duriùs ſecant: ut mihi lubeat iterum hìc illud S. Auguſt exclamare, (a) *Domine DEUS hìc ure, hìc ſeca, ut in æternum parcas.*

VI.

Cultus Beatiſſimæ Virginis.

OLim Abiathar Sacerdoti dicebat rex Salomon, (b) *& quidem vir mortis es: ſed hodie te non interficiam, quia portâſti arcam Domini DEI.* Arca illa umbratilis Mariam referebat: quam ſi tu in corde & amoribus habeas, Chriſtum facilem judicem experieris: ipſam Virginem teſtor: *qui creavit me*, ait ipſa, (c) *requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi: in Jacob inhabita, & in Iſraël hæreditare, & in electis meis mitte radices.* Quid plura? (d) *Beatus homo, qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtij mei: qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino: qui autem in me peccaverit, lædet animam ſuam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem.* Prodeant huc in Mariæ Laudem *Anſelmus, Bonaventura, & Bernardus, triplex Mariæ corculum.*

Sicut

(a) *In med.* (b) *3. Reg. 2.* (c) *Eccl. 24.* (d) *Prov. 8.*

Sicut impoſſibile eſt, quòd illi, à quibus Virgo Maria oculos Miſericordiæ ſuæ avertit, ſalventur: ità neceſſarium, quòd hi ad quos convertit oculos; filio pro eis advocans, juſtificentur, & glorificentur. *Ità S. Anſel.* (a) velut è tripode. Et ex eo *S. Bonaventura.* (b) Sicut, ô beatiſſima, omnis à te aversus & deſpectus neceſſe eſt, ut intereat: ità omnis ad te converſus, & à te reſpectus, impoſſibile eſt, ut pereat. Habet, teneo, cliens Marianus perire non poteſt, omnino non poteſt. Totis igitur (*Bernardum audis*) (c) totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam &c. Ad Patrem verebaris accedere? JESUM tibi dedit mediatorem. *paulò poſt*: Sed forſitan in ipſo Majeſtatem vereare Divinam, quòd licèt factus ſit homo, manſerit tamen DEUS. Advocatum habere vis & ad ipſum? ad Mariam recurre, exaudiet utique matrem

(a) *Apud S. Anton.* (b) *q.p.c.15.c.14.§.7.l.1. Phar. c.5.* (d) *Serm. de Nat. B.V.*

trem filius, exaudiet filium Pater. Filioli hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ. Expectas ex me exemplum? pleni ſunt libri, plena volumina: en unum è mille. (a) *Sancta Gerſenda* nobilis & Sancta matrona, cum pro S. Elzeario, quem enutriebat, ferventer oraret: corporeis auribus audivit Chriſtum ſibi dicentem: Juveni huic, pro quo tam multùm oras, noveris me matrem meam dediſſe magiſtram: nihil igitur de illo dubites. Satis eſt, teneo hæreditatis tabulas, & codices obſignatos: ſum Mariæ Cliens: ergo malè perire, aut Cœlo excidere non poſſum.

VII.

Denique Meditatio ſedula ÆTERNITATIS.

HUc omnino pertinet votum illud Moyſis. (b) *Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent*: huc conſilium Sapientis. (c) *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*: huc denique

(a) *In vit. S. Elzearij apud Sur 17. Sep.* (b) *Deut. 32.* (c) *Eccl. 7.*

nique exemplum Davidis, qui de se negotijs licèt regni occupatissimo dicebat: (a) *cogitavi dies antiquos & annos æternos in mente habui.* Sed placet audire *Bernardum* explicantem verba illa: (b) *Utinam saperent &c.* Ut ÆTERNITATIS ait, quædam imago reformari videatur in nobis præsentia moderantibus per sapientiam, præterita per intelligentiam dijudicantibus, novissima providentibus ad cautelam. (c) *Et alibi te quisquis es alloquens.* O utinam saperes, & intelligeres, ac novissima provideres! saperes, quæ Dei sunt: intelligeres, quæ mundi sunt: provideres quæ inferni sunt! profectò inferna horreres: superna appeteres: quæ sunt ad malum, contemneres. Concludo. (d) *Abbatis Ammonis bene notandâ Sententiâ:* Vade & talem fac cogitationem tuam, sicut faciunt iniqui, qui sunt in carcere. Illi enim interrogant homines, ubi est Judex & quando veniet? & in ipsa expectatione pœnarum suarum plorant.

Ità

(a) *Ps.76.* (b) *Serm. de Apost. Petr. & Paul.* (c) *Ep.292.* (d) *In vitis Patrum lib.5. tit. de compunctione.*

Ità & tu debes ſemper ſuſpectus eſſe, & animam tuam objurgare, dicendo: væ mihi, quomodò habeo adſtare ante tribunal Chriſti, & quomodò habeo ei actuum meorum reddere rationem? ſi igitur ſemper ſic meditatus fueris, poteris ſalvus eſſe. Addo ad extremum tritum illud? *hoc igitur fac* & vives,

ORATIO.

Pro DEI timore ſimul & amore impetrando.

DOmine DEUS ſummè juſtus & ſummè bonus, qui timeri te à nobis ideo voluiſti; ut te amare inciperemus, & tandem ſuper omnia nunc & in æternum amaremus: Sancti nominis tui timorem pariter & amorem infunde perpetuum. Sed timere jam minùs lubet; amare nunc te volo. O amem te, DEUS cordis mei, amem te plusquam alia, plusquam me, plusquam omnia: quia tu es DEUS meus & omnia. Deteſtor peccata mea: non jam quia mori & condemnari timeo, ſed quia te offendi infinitam bonitatem,

tem, quam ſuper omnia amo. Perfice amorem iſtum, ut nunquam nisì caſto timore timeam, & ut perfectiùs in Cœlo cum omnibus Sanctis æternùm te amare valeam, Amen.

EPILOGUS.

Ad Virginis Sodales veræ Sapientiæ Studioſos.

NUnc lubet tandem finire, *Sodales Virginei*; quanquam quis ÆTERNITATIS eſſe unquam finis poteſt? lubet autem finiendo cum doctis ſimul ac pijs noſtri ſæculi viris duobus poſtremùm quanto poſſum animi, vocíſque ſtudio exclamare.

(*a*) O ÆTERNITAS! abyſſus gaudij Sanctis, abyſſus miſeriarum & dolorum impijs! ſicut enim omne bonum facis infinitè melius & optabilius: ità omne malum efficis

(*a*) *Leſſius de diu per f. L. 4.*

efficis infinitè pejus & molestius. Quæ mens magnitudinem tuam capere, quod robur animi pondus tuum sustinere queat? Tu omnem superbiam retundis, omnem duritiem frangis, omnem animositatem reprimis: omnes peccatores perturbas, omnes pios in afflictione recreas & ineffabili gaudio perfundis: *momentaneum* enim & *leve tribulationis hujus supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Pro *momentaneo* malo rependetur *æternum* bonum; pro *levi* tribulatione, pondus gloriæ *immensum*; pro afflictione *terrena*, gloria in *sublimitate*: *væ miseris* peccatoribus! qui momentaneum & leve hujus vitæ solatium æterno illi gloriæ ponderi anteponunt: qui æternum malunt subire supplicium, quam

quàm momentaneo hujus vitæ carere commodo; qui terrena ista præferunt cæleſtibus, & infima ſublimiſſimis, momentanea ſempiternis.

O chara ÆTERNITAS, (a) æterna veritas, vera charitas, Deus meus & omnia! aperi oculos meos & amove à nobis ſtuporem hominum; ut cognoſcamus quid ſit, quàm immenſa, quàm felix, vel miſera ſit ÆTERNITAS. Creâſti nos ad te, creâſti nos ad ÆTERNITATEM: quia tu es ÆTERNITAS; tuæ ÆTERNITATIS nos participes facere voluiſti, juſſiſti, ſanxiſti: *Nam lux perpetua lucebit Sanctis tuis Domine, & ÆTERNITAS temporum.* Da, ut momentaneum hoc temporis piè & Sanctè expendamus: ut in eo ſtudeamus ÆTERNITATI, laboremus

(a) *Cornelius à Lapide in c. 34. deut.*

ÆTERNITATI, patiamur & certemus ÆTERNITATI: útque idem omnibus inclamemus, & quotquot poſſumus animas in æternum perituras *ſalvemus*. Audite Chriſtiani. Audite Pagani. Audiat Orbis.

Nulla ſatis magna ſecuritas, ubi periclitatur

ÆTERNITAS.

O longa, ô profunda, ô abyſſalis, ô æterna

ÆTERNITAS!



Samuel
Widmer

Nomen



ıı

p

q

